Gratia et pax a Deo servatore nostro:

Utinam dederim aliquid, vel satis. Plus fateor me debere: Illustris
et generose Comes: Domine clementissime. Interim gaudeo,
quod morae causas acceptasti clementer: quodque studium meum
non improbas: quin et fructum aliquem inde polliceris. Spero
Tuam generositatem intelligere, me non esse ex eorum numero,
qui dissidijs aut novis opinionib. gaudent. Qui tales sunt, vi-
deant quas Deo sint reddituri rationes. Qui templum Domini per-
dunt, hos Dominus perdet. Pro hominis Christiani et Theologi
officio rogatus respondi sine sophistica, et viam pacis ostendi,
veram et tutam, ad quam sperarem facile bonos omnes posse adduci,
si ad legitimam disceptationem res veniret: Quanquam praestare
arbitror perturbatissimo hoc rerum statu totam rem premere,
quam in disceptationem vocare. Habemus facem accensam
in verbo: hanc sequamur: et non errabimus in tenebris: nec opus
erit acumine logico ad discutiendas omnes argutias humani
ingenij, cui et boni nonnunquam plus tribuunt. Et facilius rem
conquietum iri spero, si quod scribit Tua generositas, D. Piscator
pium consensum firmiter colet, nec temere aliquid amplius
movebit. Veneror eius viri dona sane praeclara et facta salu-
taria, sed hoc unum ei opto, ut discat magis suspectas habere
κενοδοξίας. Spero etiam eum, quod hactenus fecit, Socinianas prae-
stigias constanter aversaturum, quibus Satan nunc ingeniosos
quosdam passim fascinat, ψυχὰς nempe ἀστηρίκτους, ut Petrus
vocat. Res nostrae inter sacrum et saxum haerent: boni mul-
ta metuunt: mali et hostes veritatis cristas erigunt: meae
cogitationes in contrarium saepe rapiuntur. Dum quae foris sunt
intueor, securitatem, luxum, verbi contemptum, et id genus pestes

actum video. Dum contra mentis oculos intendo in promissio-
nes Dei, in exempla p̄sentia, quae adhuc in Palatinatu vidimus,
in preces piorum, in reliquias bonorum, spe n̄ dubia me
erigo fore, ut Deus ecclesiam suam n̄ abijciat, nec corri-
piat in ira sua. Caput idem aegrum est valde: ideo turbati sunt
spiritus animales. At quamdiu manent vitales in corde, non-
dum de vita est actum. Consolantur me illa, quod qui ex
Deo natus est, n̄ potest peccare, nempe toto corde, et ad
mortem: quia semen Dei manet in eo: quod fidelis est
Deus, qui opus ceptum tandem non deseret: quodq idem
Sapientissimus pater etiam filios sepe sibi ad tempus re-
linquit, ut labantur gravius, ut manifestum fiat, quid
possint sine eius gratia: sed lapsos non abijcit vel eijcit
domo: imo labentib. supponit manum. Sed Deus bone quam
acuta opus erit ferula, ut veternum nobis excutiat. Hae
mihi Generose Comes, cum plurimis bonis hic iam co[mmun]ia
sunt suspiria, quae in sinum tuum effundo: quia scio, te et
n̄ra probe intelligere, et serio affici reb. sic perturbatis, et
sanctissimis tuis precibus apud Deum ruinas n̄ras fulcire.
Utinam salutarib. consilijs id curam posses ac faceres ut
olim. Pridie Non. Sept. hinc Simmerium concesserunt cum
plenis mandatis abolendi idola et ad normā agendae Palatinae
reformandi ecclesias eius ditionis, Visitatores designati, D. Cun-
radius, Angerus, Stephanus: cum quibusdam alijs. Cras Serenissi-
mus noster eodem venturus nunciatur. Adsit Deus sua gratia
tam pio conatui: quem toto ex pectore invoco, ut in his

confusionibus. Et in hac extrema mundi senecta colligat et servet sibi
inter nos veram Ecclesiam, et huius membra inter se uniat
suo spiritu in veritate et charitate: Servet et pios principes
Ecclae nutritios, et in his te, Generose Comes, quem constat toto
corde quaerere Dominum: cui proinde Dominus benedictionem
Israëlis retribuet in secula. Amen. Vale Generose Domine
cum Illustri familia et lectissima coniuge, et fidelissimis eccle-
siarum tuarum ministris, quibus omnib. gratiam et pacem a Domino
precor, meque vicissim earum precibus commendo. Heidelbergae
14 Septemb. [illegible]

Tuae Generos.

Subiectiss.

David Pareus.

Illustri ac Generoso Domino,
D. Ludoico à Sein, Comiti
in Witgenstein, Domino in
Homburg &c. Domino suo
clementissimo.

B. 27. 8th – 98

D. Parei de priore scripto ad
sopiendam Iustificationis controversiam
et de statu animarum post obitum

Illustris et Generose Comes. Ptolemaeus Philadelphus summo id olim studio agebat, ut omnes totius orbis libros, quotquot cognitu digni, et cupiditati eius grati essent, ut Iosephus loquitur, in suam Bibliothecam colligeret. Quanquam autem haberet iam instructissimam adeò ut Bibliothecarum regiarum praefectus ab eo interrogatus, ecquot'nam millia iam comparavisset, responderet, se iam habere ducenta circiter millia, sed breviter habiturum quingenta millia. tamen eiusdem praefecti suasu, Legis insuper Iudaicae codicem comparari sibi volebat, atque etiam, ut Graecè legi à pluribus posset, ex Hebraeo in Graecum sermonem à LXXII interpretibus Iudaeis converti, sumtu maximo curabat: inductus ad id religione quadam quod Demetrius (hoc erat praefecto nomen) dixerat, illum DEUM esse Legis eius autorem, qui ipsi imperium dedisset. Hoc studio sanè Rex ille immortalem sibi gloriam invenit, effecitque ut non modò tunc Philadelphi Bibliotheca in toto orbe esset notissima, sed hodie etiam inter Christianos nomen eius aeternae consecratum memoriae celebretur.

Quanto verò magis operae pretium, et ordine suo rem dignam Christiani Proceres facere hodie censendi sunt, qui hoc seculo literatissimo Bibliothecas extruunt, curantque, ut non tam numero quàm praestantia librorum habeant quàm nitidissimas, utque in omnibus primo semper, quin verò etiam medio et imo loco emineat Sanctissimus ille non iam Iudaicae, sed Christianae Legis iuxta atque Evangelij Codex, quem κατ' ἐξοχὴν Biblia, quasi Volumen voluminum et Tractatum Tractatuum appellamus? Multò siquidem rectius ipsi, quam Ethnicus ille

Rex

Rex quondam opinari potuit, norunt, ac persuasum habere de-
bent, sacros hosce libros non hominum sapientia ingeniove exco-
gitatos, sed dictante Dei Spiritu, sanctorum Prophetarum et Apo-
stolorum calamo exceptos exaratosque esse: Spiritu inquam illius
Dei, qui non modò Imperij Dignitatisque ipsorum autor est, sed
omnimoda insuper benedictione coelesti ipsis in Filio suo be-
nedixit, pro qua non aliam gratiam sibi reponi posit, quam
Fidem et obseruantiam Voluntatis suae, sacris illis libris descri-
ptae. Nec verò etiam sumtu ad eam rem magno am-
plius est opus. Omnes iam Christianorum Academiae Sanctam
Linguam profitentur excoluntque, ut non sit necesse à Iudaeis
interpretes mercenarios conducere. Extant sacri codices non
Graeco tantum et Latino, sed patrio etiam Idiomate nitidissi-
mè impressi. quod inter praecipua Germaniae nostrae orna-
menta et beneficia Dei ponendum esse duco. Ea res effecit,
ut cum nuper à Typographo nostro denuò recudendi essent,
haud grauatim obtemperauerim eorum iudicio ac Voluntati,
qui me in editione hac elaboranda, ut quàm cultissimè pro-
diret, aliquid operae ponere voluerunt. Etsi verò onus mi-
nimè leue, tantumque non impar humeris meis, mihi impo-
situm esse in progressu tandem sentire coepi: tamen et Deo
iuuante gratia sua conatus meos, et amicis alijsque praecipuis vi-
ris hortatu suo eosdem vrgentibus, coeptum laborem ad finem
vsque constanter pertexere, ac sperare sum ausus, eum neque in-
utilem rudioribus fore, neque etiam doctioribus iniucundum.

Prodijt

Prodijt ergo hoc sacrum Volumen qualibuscunque meis notis et opera illustratum, auspicijs quidem et nomine Illustrissimorum Princi-pum D. Johannis Casimiri Palatinatus Administratoris, et D. Friderici eiusdem clientis, Dominorum meorum clementissimorum, sed ita, ut vniuersæ simul Ecclesiæ, eiusdemque fidis Patronis omnibus consecratum esse debeat.

Tuæ igitur etiam, Illustris et Generose Comes, Bibliothecæ exemplar hoc offerre et consecrare visum est, non quidem munus Te satis dignum, at quantum à me hoc tempore proficisci potuit, obseruantiæ erga Te meæ argumentum. Ignotus fortè homo sum: at non ignota mihi est præstans virtus tua, et cum præclara eruditione coniunctum veræ doctrinæ coelestis studium singulare, quo inter Germaniæ Proceres excellis. Nec incognita tibi est Sacri huius Voluminis præstantia atque dignitas, quæ etiam cum ab ignotis reddita est illustrior, suo merito nobis gratior esse debet. Opus est arbitro, qui de controuersijs Ecclesiæ sententiam dicat. En arbitrum, uel potius iudiciarium Canonem, et diuinam stateram de Scripturis Sanctis ut Augustinus loquitur. In ea quid grauius quid leuius sit appendatur, imò non appendatur, sed à Domino appensum recognoscatur. Sic populares errores facilè eleuabit Veritas, et inter Sophistarum latratus pace tamen sua fruetur Ecclesia.

Ab ignoto igitur Tibi, Generose Comes, non tamen planè ignoto Illustri filio Tuo D. Wilhelmo, iam olim autem D. Wiradio Ecclesiarum tuarum Inspectori, Viro doctissimo, satis familiariter coniuncto, hoc qualecunque munusculum, ut clementer accipias:

et

E quo loco Ptolemaeus olim sua quadam religione inductus, Diuinae Legis codicem Graecum in sua Bibliotheca magnificentißime instructa consistere voluit, ut nimirum aliquam Deo illi reponeret gratiam, à quo Imperium acrepißet: eodem Tu quoque summo nimirum, medio et imo, sacrum hoc Veteris ac Nouae Legis Volumen Vernaculum, in Bibliotheca tua nitidißima, eadem imò puriore inductus religione, reponas: meque etiam pro Illustri tua Virtute benignè complectaris, humiliter oro. Dominus Iesus Te cum Illustri familia tua clementer seruet, et vniuersae gubernationi tuae ad laudem gloriae suae, et Ecclesiae ac Reipub. salutem quàm cumulatißimè benedicat.

Heidelbergae XV Calend. Novemb. Ao salutis 87.

T. G.

Deditiß.

M. David Pareus Silesius
Collegij Sapientiae Praeceptor.

uinæ
n
et
o
s
m
ll
t,
e

Illustri ac Generoso Domino, D. Lu-
dowico à Sain, Comiti in Witgenstein,
Domino in Homburg etc. Domino suo co-
lendissimo, ad manus.

W. 17. Jan 88 Berleburg.

D. Pareus Biblia germanica mittit

R

Gratiam et pacem à Domino.

Inclyte et Generose Comes, Domine Clementissime. Ut Tuae Generositatis literae
non tam argumenti causa quam scribentis affectu mihi fuerunt iucundissimae: ita
nihil habui prius, quam ut tam sancto desiderio satisfacerem, h. e. sopiendae dis
sensioni, quae de iustificatione quasi ex cineribus suscitari videbatur, operam
meam accommodarem. Sed, quod gaudeo, opus ea non fuit, ut ego quidem ar
bitror. Clam enim Facultate nostra acta res est, nescio an transacta. Non pote
rat tempore magis ἀκαίρως hoc μῆλον ἔριδος nobis obiici: cum et aliud nobis
obiectum nondum è medio esset sublatum. Dissuaseram legato literarum exhibitionem
quas habuit à Synodo, et actionem cum D. Piscatore, quia tale quid quod evenit praevi
deram: maxime cum ipsa confessio Gallicana absque hoc scrupulo loquatur et con
sistat. Sed praevaluerunt aliorum consilia. Semel Reverendus D. Crocius me
cum in colloquium venit: idque praesente legato: ubi quid iudicarem de re ista
breviter ei exposui. Multum si quisquam super hoc negotio cogitavi: et scripsi
prolixe aliquando ad Generositatem T. Plenius tamen saltem cogitavi et cogito, postquam
Epistolam D. Pauli ad Rom. explicandam in manus sumsi, in qua etiamnum
versor. Valde mihi probatur consilium G. Tuae, simplicitati phraseos Scri
pturae inhaerendum esse, argutiis caeteris omissis. Ita enim videmus fecisse
praeceptores nostros Theologos summos ante nos Lutherum, Philippum, Calvinum et cuius
mihi cumprimis placet explicatio, quae est Inst. l. 2 c. 16. §. 5. Certum est partitionem
illam obedientiae Christi in plures, cum Paulus unam doceat, praebere ansam λογομαχίας
periculosae, tam in excessu, quam in defectu subtilius, quam par est, philosophantibus.
Itaque, ut verbo dicam, retineo ego tres phrases Paulinas. 1 fide iustificatur
homo absque operibus. Rom. 3.28. 2. Deus imputat iustitiam absque operibus: remitten
do peccata: cap. 4. v. 6. 7. 3. Unius obedientia iusti constituuntur multi,
cap. 5 v. 19 et Phil. 2. 8. Ista mihi sufficiunt ad plenam explicationem: credo etiam
piis non nimium argutis. Hodie discessit à nobis legatus Gallicus, qui heri
mihi valedicens recessum Augusti Senatus manu et signo Principis firmatum
ostendit in hanc sententiam: cum praesens Ecclesiae conditio disceptationes tales per
se tam subtiliores in utramque partem dissuadeat, consultum videri, ut missis
utrinque argutiis doceatur thesis, totum Christum esse nostram iustitiam. Forte et vi
tale retulerunt responsum: qui quidem inopinato hinc discesserunt, et haud du
bie silentium meum Tuae Gen. excusarunt. Vale Illustris Domine: et perge simili
tua prudentia, pietate atque authoritate res labantis Ecclesiae sustentare: pro quo Deus
Opt. Max. te clementissime in aeternum respiciat Amen. Heidelbergae 22 Feb.
Ao. Christi Redemtoris nostri 1604

T. Ill. Gener.
Addictissimus

D. Pareus.

Illustri ac Generoso Domino
D. Ludowico à Sein,[?] Co-
miti ad Witgenstein, Domino
Homburgi & Domino suo
clementissimo

B 5. Martij 604

Accepi literas 10. Julii

S. Cogitatio illius, quod verissime dici solet:
Curando fieri quaedam peiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit:

nec non acerbitas doloris, quem tuae ad me & ad amicos scriptae literae mihi inflixerunt tanto graviorem, quanto te propter praeclaras dotes tuas & amavi impensius, & magis promovere studui, mi clarissime D. Vorsti, effecit fateor, ut nec ad tuas superiores responderim, nec etiam ad postremas respondere animum induxerim, sed silentio potius & te sanare, & dolorem meum concoquere cogitaverim: nisi & tot obtestationes tuae & D. Holstenii preces mihi responsum quasi extorsissent. Utinam vero de levissima, ut tu vocas, quaestione dissensio esset. Sane ipse iniquissimos pronunciarem, qui te dissentientem non ferrent. At magis magisque ostendis ipse, non de levissima quaestione, sed de fundamento religionis nostrae, non de quaestione una, sed de universa fide nostra controversiam abs te moveri. Utinam ille iam vix occultus rumor de Socinismo tuo calumnia vana, ut tu vocas, esset, & iam non omnes prope fratres metuere coperentur illud: Latet anguis in herba. Non credam, vis. Sed quid est quaeso, quod amicis scribis, te ex Samosatenianorum libris didicisse demum vere θεολογεῖν? nostros, h. e. omnes evangelicos non pauca dubia pro certis, falsa pro veris tenere? quid illud quod tres tuae priores theses ad D. Tossanum scriptae sunt ita Socinianis similes, ut ovum vix magis ovo? quid est quod quanto mentem tuam exponis pluribus: tanto ad Socinum accedis propius, utcunque τὰ ἄμικτα admiscere studeas?

Meministi, initio te solam Dei justitiam, qua vult bonis bene, malis male esse, non utique contingentia voluntatis, sicut vult cras pluere aut non pluere: sed perfectione atque necessitate naturae, sicut vult esse Deus: hanc (inquam) iustitiam solam te cum Socino negare: immemorem ejus quod apostolus passiones piorum vocat ἔνδειγμα iusti iudicii Dei: quandoquidem iustum est apud Deum ἀνταποδοῦναι &c. Relinquebas interim nobis ~~Christi~~ ἀπολύτρωσιν Christi veram & proprie dictam: quippe qui poenas nobis debitas Deo persolverit: Thes. 17. & 18. Postea ut intelligeretur (quod ad me & alios saepius scripsisti) in quo tuae tibi theses non satisfacerent, proferebas nobis nescio quod οὐδέτερον, satisfactionem semiplenam, impropriam, hoc elumbi inductus cavillo, quod Christus non omnes poenas nobis debitas, nec mortem aeternam senserit: cum prius Thes. 7. & 9. [illegible] tuae scripsisses, non ex parte, sed plenissime a Christo dissolutum esse debitum nostrum, & temporariam passionem filii Dei, cum sit passio veri & aeterni Dei, aequivalere, imo praeponderare aeternis & infinitis omnium eorum, pro quibus ille passus est, suppliciis. Tandem

Marginal notes (left): gravitas offensionis; aucta suspicionis; gradatio [illegible]; [illegible]

ut quò tenderes, magis liqueret, pedem ampliùs protulisti, et in ipso scripti limine
(quod solum aspexi, exhibitum mihi XVII Junij ab Holstenio: neque enim tum vacavit
XX per occupationes, his portentis bonas horas dare) non dissimulanter abiecisti ec-
de fide et clesiæ doctrinam de fide iustificante et justificatione ipsa: nec ampliùs tibi
justificat: placet, peccatorem iustificari coram Deo hac fide, si credat, h. e, certò confi-
dat, pro se nominatim Christum mortem æternam et universas damnatorum
poenas sensisse: Contrà magis tibi arridere videtur Sociniana fides et justi-
ficatio: nempe nos recipi in gratiam, si Christo confidamus et obtemperemus:
quæ duo Socino idem valent: Ita tibi iustitia imputata iam nulla est: nulla
fides justificans, h. e, accipiens iustificationem gratuitam, propter unicum et
perfectum Christi meritum: sed fides iustificans tibi est fiducia et obedientia
Christo, seu Deo per Christum præstita: (Scis Socinum sic ludere) imò conversio (tibi nostra)
antecedit fidem et condonationem peccatorum, tanquam causa effectum: et est
ἐφ' ἡμῖν: quæ etiam thesi 2 et 5. ad D. Toss. non dissimulasti, cùm prius
thesi 3. [illegible] verè scripsisses: veram poenitentiam esse donum Dei:
an conversio justificat: sequatur an gratia quod ex formula foederis ijs solis contingat, quos iam in gratiam recepit Deus
Jer. 31. ita ut remissionem peccatorum potius sequatur quàm antecedat. Hæ
talia profectò sunt, quæ suspicionem Socinismi tui multis bonis, qui te norunt et a-
mant, non possunt non cum summo dolore exaugere, ut metuant conscientiam
tuam, non tam evidentibus, ut scribis, rationibus constrictam, quam Soci-
Socinismus nianarum argutiarum laqueis captivam teneri, quibus tandem totus huc
pertraharis, ut everso justitiæ divinæ fundamento, evertas simul, h. e, aper-
tè neges immensam Dei iram adversus hominis peccatum: neges immensam
hominis culpam et reatum: neges immensæ satisfactionis necessitatem: neges
satisfactionem omnem: neges personæ satisfacientis Christi videlicet mediato-
ris immensam naturam et potentiam, h. e, divinitatem: huc enim nosti
σκοπὸν illud ψευδο Socinianum tendere: Contrà ex Christi λύτρῳ
martyrium: et ipsum Christum servatorem merè exemplarem cum Soci-
no facias, cuius scis hoc esse de Christo et de salute hominis blasphemum
Ejus partes.
1. commentum: Dominum Deum pro summa bonitate olim decrevisse omnibus
resipiscentibus et sanctè viventibus peccata condonare, et æternā vitā do-
nare: propterea Jesum Christum filium unigenam in mundum misisse, ut
2. hanc eius voluntatem patefaceret: Et sanctissima sua vita nobis exemplar
factus viam salutis monstraret. Unde factum, ut Christus Jesus non
3. modò tantam libertatem (alias) nobis annuntiârit, et mirandis operibus confir-
mârit: Verùm etiam, postquam sanctimonia vitæ suæ nobis viam salutis

monstraverat, Deo ita mandante, passione et morte exsecrabili eam
4. obsignaverit. Quem proinde etiam Deus, in tantae obedientiae scilicet usque
ad mortem crucis insigne praemium, tertio die à mortuis exsuscitatum in coelum
ad immortalem vitam transtulerit, omni potestate ipsi data in coelo et
in terra, ut eos qui viam ab ipso verbis et exemplo praemonstratam ingressi
ac persecuti fuerint, conservare, et vita aeterna ipse donare possit: Sic
5. Christum esse servatorem nostrum, et non aliter: Atque sic fieri, ut quicunque
crediderit in Christum, h. e., non qui fiducia certa meritum mortis eius
sibi applicaverit, sed qui se, abnegata impietate, iuxta Christi praescriptum,
ad Deum per bona opera converterit, remissionem peccatorum et vitam
6. aeternam certò consequatur. Credere enim in Christum, et Christi iussu
se ad Deum convertere, et Deo obedire, et bona opera facere, idem valere:
7. Et esse in hominis potestate ac libertate positum, quia homo habeat liberum
arbitrium, h. e., facultatem per bona opera sua ad coelum perveniendi &
Haec est egregia Socini Theologia, quam non ex evangelio Jesu Christi
hausit, sed ex infausto cerebro suo confinxit: huc nimirum tendens aper-
fructus diei Sociniani. tè, ut pro vero Deo Jovem aliquem Homericum nobis obtrudat, qui scelera
hominum vix pili faciat: ut Christus aeterna deitatis naturâ et redemtoris
munere exuatur: Ut peccati horribilis deformitas et reatus elevetur:
Ut pravitas naturae nostrae extenuetur: gratia Dei abnegetur: Justitia
imputata et fides justificans tollatur: Vires arbitrij nostri meritaque hu-
mana stabiliantur: Superbia cordis humani adversus Deum efferatur:
Et sic miser homo cum Satana harum blasphemiarum architecto in exi-
NB tium aeternum altius praecipitetur. Haec aut cum Socino omnia statuen-
da, aut cum ecclesia Christi damnanda tibi esse vides. Damno inquis,
sententiam peccantem in defectu. At cur Samosatenianam vereris hae-
resin vel nominare? Cur integram non damnas? Mediam, inquis, senten-
tiam ego sequor: Cum Augustino, Lombardo, Thoma, Musculo etc.
De media sententia. Falleris, si inter veritatem evangelij et mendacium diaboli medium sta-
tuis: et sine dubio illis, quos nominas, iniuriâ sententiam tuam tribuis:
quod iustitiam, de qua quaeritur, Dei naturae adimant: satisfactionis necessi-
tatem ~~necessitatem~~ tollant: Christo satisfactionem semiplenam relinquant.
At suspendunt illi satisfactionis necessitatem à liberrimo decreto Dei.
Concedo de modo satisfactionis per filium mediatorem. Nam hunc modum

Deus haud dubiè liberrimo decreto disposuit: alium modum divina sapientia inve-
nire potuerit annon, nostrum non est disquirere. Hoc illi statuunt: hoc
(At de ea Aquinas dis- serit lgē, ne grat ex object. solvimus) et nos statuimus. De omnimodæ satisfactionis necessitate non concedo, eam
fuisse contingentis decreti. Justum est enim apud Deum ἀνταποδοῦναι,
inquit apostolus: quia Deus non voluntate solum, sed naturâ amat bonum
aversatur malum. Psal. 5. et 45. Non nego, propter decretum seu
edictum illud Dei: Morte morieris: necessariam fuisse hominis peccantis
destructionem, et, ut servaretur, vel ipsiusmet vel mediatoris pro ipso sa-
tisfactionem. Sed nego, necessariam fuisse tantum propter hoc edictum:
alioqui destructio diaboli peccantis non fuisset necessaria, qui edictum
ejusmodi nullum habuit: et homo peccans sine illo edicto non fuisset ab-
(Nihil hoc probat ex S. literis) iectus à Deo: quorum utrumque sine dubio est falsum. Quare tum pro-
pter iustitiam Dei naturalem, tum propter veritatem comminationis
divinæ necessaria fuit pro hominis peccato satisfactio. Quin largiar
quod vis: teneris nihilominus. Nam etiam decreti necessitas evertit
illud tuum toties ingestum: Deum posse, si velit, absque omni satisfactione
peccata remittere: constat enim, eum non velle, quia aliter decrevit:
ideo nec posse, quia non vult. Omnia enim potest, iuxta Tertull.
(Sed et de eo qt, qd velit.) Nisi quæ non vult: nisi forte potest velle mutare decretum, seipsum
negare aut mentiri. Evertit quoque semiplenam tuam satisfactionem:
quæ, ut dixi, verè est ἀντηγόρευτον, h. e, contradictionem implicans.
Nam semiplena solutio non est satisfactio: nec decrevit Deus tantum par-
(De semiplena satisfactione.) tem debiti nostri à mediatore exigere: sed totum omninò debitum ad
extremum usque quadrantem: quia nullum omninò peccatum Deus dimittit
* impunitum in æternum: Maledictus omnis qui non manserit in omni-
bus. At Christus non sensit mortem æternam, sed tantùm triduanam:
proinde non omnes pœnas nobis debitas. Si mors æterna tibi est æter-
na divulsio animæ et corporis: Fateor, non sensit. Sed sic nec re-
probi quidem damnati sentient. Hæc igitur non est mors æterna:
(quo Chr. æternam mortem senserit.) In morte verò æterna duo sunt. 1. Immensitas agonum et cruciatu-
um infernalium ~~[illegible]~~ cum desertione et abiectione à Deo. 2. ~~[illegible]~~ Con-
tinuatio agonum et abiectionis in æternum: Illud per se adest morti æternæ
in singula etiam momenta: hoc per accidens, cum non fit liberatio.
Illud maximè sensit Christus: desertus et abiectus à Deo ad inferos

usq; aliqui nobis sentiendum esset: Utrumq reprobi sentient. Vides
igitur et ὁμωνυμίαν vocis, et fall. accidentis. Hoc vero debuit
aut potuit Christus mortem aeternam etiam duratione sentire. Non
De duratione. debuit, quia debuit esse vindex noster: Non potuit: quia moriendo sa-
tisfecerat: et erat persona omnipotens. At dictum erat: Morte ae-
terna morieris. Quo dictum: Morte morieris, nempe corporali et spiri-
tuali: Quae non interrupta, sed perpetuo continuata sane aeterna futu-
ra erat, etiam duratione: Ut in reprobis: Mediator ergo moriens mor-
te corporali et spirituali satisfecit edicto et iustitiae Dei: tametsi mors
in eo nec debuerit nec potuerit continuari. At, inquis, sic re ipsa
peccata nostra jam ante conversionem nostram essent deleta: quod
quo ante conversionem peccata deleta. tamen scripturae repugnat? At cui quaeso scripturae? Tam non repu-
gnat, quam non, nos ante iacta mundi fundamenta electos esse et fa-
ctos Deo gratiosos in Christo. Nosti enim distinguendam esse prae-
parationem gratiae a gratiae applicatione et sensu. Instas, si Deus
id totum a Christo recepit, quod nos ei debebamus: non posset ullam
q obiect. a nobis conditionem (puta fidei, poenitentiae, caritatis erga fratres)
exigere ad obtinendum remissionem peccatorum: Nego, non posse, quia
necessaria est acceptio beneficii et gratitudo. Sic dedit filium, ut
omnis qui credit in eum, non pereat, &c. Ergo necessaria est conditio
† et ad gratitudinem: fidei: Necessaria etiam est caritas ad fidei veritatem,† non ad fidei
actum seu ad remissionem peccatorum obtinendam. At Deus iustus
cum sit, non potest nos fructu plenissimae illius solutionis fraudare.
q ali obj. Sane non potest, applicatae; potest autem et se velle dixit: non appli-
catae per fidem: Qui non credit in filium Dei: super eo manet ira Dei, &c.
Haec sunt, quae, mi carissime D. Vorsti, inter summas occupatio-
nes (quas ipse D. Holsenius vidit) pro ea qua contineor salutis tuae
cura et amore, ad tuas respondere hoc tempore est visum: Quae ut ani-
Obtestatio. mo scripsi candido, sic tu candide quaeso accipe: Et cogita, non iam
de causa mea controversiam esse; sed de ipso, ut vides, fundamento
religionis nostrae. Per gloriam ergo iustissimi Dei nostri: per san-
ctissimam et plenissimam satisfactionem filii Dei, per vulnera et mor-
tem eius, per tuam aeternam salutem: Per ecclesiae Christianae pacem,
per si quid tibi est carum, te obsecro, cogita quid agas: nihil tergi-

denũciatio Danoy

verseris: Ocà Copparà & colores te diu non tegent: Filia temporis veritas: cogita quale sit, unum Sozinum Samosatenianum haeretticum orthodoxis Theologis omnibus anteferre: propter inanes argutias fidei & consensui ecclesiae Christianae nuntium mittere: Cogita iustam indignationem Optimi Generosi tui: scandalum ecclesiae: triumphos Iesuitum, quos excitabis: perniciem iuventutis: periculum tuum. Libera me & amicos omnes hac sollicitudine & metu: Et haeresin Sozini aperte nobiscum detestare. Quod ut velis, & possis, & facias toto pectore Deum oro. Si quid durius videbitur a me dictum, nec mihi nec tibi; sed Sozino imputa. Vale Heidelbergae 27. Junij 98.

I. D. Paraeus

Ao 1598
Red. XVIII. Julii

Reverendo et clarissimo viro D. Cun-
rado Vorstio. S. Theologiae Doctori et Pro-
fessori Illustris Gymnasii Steinfurtani:
amico suo observando plurimum

Steinfurt.

DAVID PAREUS.
Epistolae sunt
No. V.

3 [illegible] de justificatione

4.

S. Gratia et pax à Deo Patre, et Domino Iesu Christo Servatore nostro. Quod serius, quam oportuit, postulationi tuæ respondeo, Illustris ac generose Comes, Domine clementissime: Id primum oro, ne alicui culpæ aut negligentiæ meæ asscribas. Tanta certe sunt tua in ecclesiam et in me ipsum merita, ut uel nutui tuo totus seruiam meritò ac lubens. Verum exercuit aliquandiu domum meam nescio quæ infelix Ate, quæ mihi rebusq meis perturbationem non levem attulit. Accessit negociorum catenata moles, quæ me totum hucusq varie distinuit, atque à scriptione aliquoties cœpta identidem retraxit. Nec parum me perplexum reddiderunt consilia Academicorum, qui me à collegio Sapientiæ, cui totos nunc annos XIIII servio, ad vacantem professionem Theologicam vel invitum pertrahere tentarunt, et pertraxerunt tandem. Utinam diuinæ id gloriæ cedat, et commodo publico. Deniq ut quod res est fatear, judicium meum controversijs non libenter interpono; tum quod agnoscam, quam id nullum sit; tum quod pro ea, quam semper colui, φιλησυχία, me litibus alienis non libenter admisceam: et huic præsertim, quæ est περὶ δικαιώματος: de qua nescio qui fiat, quod ecclesijs nostris male metuam, ne quod dicitur, sit nobis ἀγαθὸν καὶ πῆμα. Scimus in hoc capite repurgationem doctrinæ nostro seculo cœpisse. Utinam in hoc non deficiat. Scripturæ phrasis plana, sententia simplex est, nos iustificari per sanguinem et mortem Christi, et iustificationem nostram esse remissionem peccatorum. Nunc disputatur, an morte filij Dei iustificemur: an sola: imò an etiam temporaria: an res qua imputata iustificamur sit una, an multiplex: simplex, an conflata ex partibus, duabus vel tribus: an imputatio sit una, an duplex vel triplex: an remissio peccatorum sit tota vel dimidia iustificatio, et nescio quid aliud: In quibus ego quidem

iudico plus periculosae subtilitatis, quam solidae veritatis, plusq ingenij quam fidei à plerisq adhiberi. Et haec dissidia non solum in vicinia vestra palam vigent, sed passim nunc disseminantur, et prout ingenia inveniunt arguta, varie agitantur. In alio angulo non ita procul à vobis remoto gliscit aliud certamen periculosius de Iustitia Dei διανεμητικῇ, insit ne Deo naturâ an tantum voluntate, ut sicut vult cras pluere aut non pluere, natura eius neutrum horum exigente: ita velit aut non velit peccatum diabolorum et hominum aversari ac punire, natura eius neutrum quoq istorum postulante: quod quidam juvenis Doctor Socinianis tinctus ar„gutijs, utinam non etiam blasphemijs, nuper in nova Benthemensi Schola movere coepit; idq ut per hunc cuniculum necessitatem satisfactionis, ipsamq adeo satisfactionem Christi pro nobis, et sic unà omnem fidem nostrã labefactet, funditusq tandem evertat. Huc enim tendere Socinianas ar„gutias, non ita pridem ipsemet ei demonstravi. Deus bone, quid sibi vult iste argutandi pruritus? et haec novandi omniaq convellendi libido? Quic„quid heri somniarunt, hodie pro oraculis in cathedras afferunt, et mordi„cus tuentur: cras aliud sentiunt, et quoties vestes, toties sententias mu„tant: Quasi in ecclesia opinionum, portentorum et litium non sit plus satis: Metuo nimis, ne istae favillae in funestum brevi erumpant in„cendium, quo ecclesiae nostrae, nisi vigilamus sensim correptae, miserè tan„dem conflagrent. Praeclara igitur laude dignum est studium tuum, curaq singularis tua, Generose Comes, quod pro eximia pietate et senili pru„dentia tua, gliscentia haec mala non susq deq facis, sed sentis rem tu„am agi paries dum proximus ardet, vulneriq recenti pro virili remed„ium quaeris. Quod ad me, etsi fatear, me hanc controversiam, de qu[a] interrogor, non libenter attingere, ac modis omnibus sepultam cupe[re]

tiam

tum quod judico eam ecclesiis et scholis evangelicis vehementer indignã esse, in hac præsertim scripturæ sacræ et doctrinæ repurgatæ clarissima luce: tum quod adversarios jampridem ex dissidijs nostris veritatis oppressionem captare video: tum deniq quod in præcipiti est, quicquid dixero, ne oleum camino, quod dicitur, infundere velle videar, propter aliquorum calorem, qui hanc causam ita agunt, ut fratres vel verbo dissidentes vix ferre possint: Tamen cum videam, rem postulari ab officio et professione mea haud alienam: non gravabor de eo quod quæritur, libere sententiam meam explicare: atq ut ad omnia Generositatis tuæ interrogata ordine respondeam: primo præcipua sententiarum et rationum controversiæ huius momenta breviter attingam: solane iustitia Christi passiva, an etiam activa ad iustitiam nobis imputetur: Tum quid de sententijs aliorum mihi videatur: et quid ad sarciendam concordiam facto opus judicem, paucis aperiam. Tertio an sit consultum hoc argumentum θετικῶς καὶ ἀντιθετικῶς pro concione tractare: et deniq an necesse sit in catechesi et agenda Palatina aliqua omittere aut eradere breviter quoq monebo.

CAPUT 1.

Primum caput quod attinet, quo status controversiæ intelligatur rectius, tenendum, in quo conveniant et dissideant disceptantes. Convenit ergo inter omnes. 1. Iustificare forensi significatione esse idem quod à reatu absolvere et iustum reputare. 2. Nos peccatores iustificari coram Deo non legaliter sed evangelice, hoc est, non operibus sed fide, non nostra iustitia, sed aliena. 3. Hanc alienam justitiam non infundi, sed imputari à Deo credentibus, idq gratis. 4. Applicationem iustitiæ imputatæ fieri sola fide: et fide iustificari idem esse, quod iustitia aliena imputata, et per fidem applicata iustificari. 5. Hanc deniq alienam iustitiam esse solius Christi meritum et satisfactionem pro nobis, seu iustitiam Christi nobis imputatam.

Dissident vero in huius meriti seu iustitiæ Christi explicatione. Primum enim sicut iustitia Dei in scriptura δικαιώσεως significat modo eam, qua

Deus ipse iustus est, modo eam qua nos iustificat: Sic iustitia Christi ὁμωνύμως dicitur tum ea, qua Christus θεάνθρωπος ipse iustus est, tum ea quam nobis est meritus, et quam nobis donat per fidem: ex cuius ὁμωνυμίας neglectu tota controversia nascitur. Deinde cum in Christo θεανθρώπῳ a plerisq ponatur iustitia quadruplex 1. diuina essentialis. 2 humana formalis seu originalis. 3. actiua impletio legis. 4. passiva obedientia: quæsitum est, omnene hæ iustitiæ, an aliquæ, an postrema sola sit res ea, qua imputata iustificamur. Aliqui materiam: alij formam nostræ iustitiæ appellant. Ego docendi causa materiam appellabo. Hæc quæstio secum traxit aliam de forma iustificationis nostræ, sitne remissio peccatorum tota an dimidia nostra iustificatio. Et quantum recordari possum, hæc controversia circa annum 64 primum inter Marchicos quosdam Theologos agitari cæpta est, deinde anno 70 interuentu Academiæ Witebergensis utcunq sopita, uel potius suppressa. Prius vero ecclesijs euangelicis ignota fuit, neq in scriptis Lutheri, Melanchthonis, Zwinglij Calvini, Martyris, Musculi, Hyperij, aliorumq huius seculi Theologorum quicquam istius, quod sciam, disceptatum legitur: sed recepta fuit omnium consensu simplex illa scripturæ doctrina, nos morte Christi iustificari, cum propter eam habemus remissionem peccatorum. Nunc sunt quasi quatuor sententiæ: quod scribens re-
Lib: 3. d. 19. cordor Lombardi, ubi quatuor etiam sententias suorum de iustificatione recenset, nesciens ipse quid sentiat. Quam vero turpe, nos hic ad sophistarum
† prope divortia † accedere? Sed hoc nunc mitto.

Primi sunt, qui omnes illas Christi iustitias uno complexu nobis imputari volunt. His igitur materia iustificationis est quadruplex illa Christi iustitia: forma quadripartita imputatio: hanc tamen aliquando reuocant ad duas partes: remissionem peccatorum propter mortem Christi, et imputationem iustitiæ Christi diuinæ, humanæ, et activæ. Et ratio horum propria est, quod totus Christus Deus et homo sit noster sacerdos, rex, seruator, et quodq dignitas meriti Christi cumprimis a dignitate personæ, hoc est, a Divinitate pendeat.

Alij tres posteriores Christi iustitias materiam, et triplicem harum imputationem formam iustificationis statuunt, et docent, imputari nobis 1 passivam obedientiam ad hoc, ut simus non iniusti, hoc est, ad remissionem peccatorum

2 activam

2 activam obedientiam ad hoc ut simus iusti, hoc est, ad iustitiam. 3. formalem sive habitualem, ut loquuntur, sanctitatem ad hoc, ut censeamur et sancti, hoc est, ad sanctitatem perfectam.

Tertii duas tantum posteriores Christi iustitias materiam, et geminam harum imputationem formam iustificationis faciunt.

Omnes tres isti hoc habent commune, quod remissionem peccatorum et iustificationem distinguunt, ut partem et totum: aliquando etiam ut partes integrales totius; et priorem morti, posteriorem activae obedientiae vendicant. Omnes etiam communibus fere scripturae dictis et argumentis nituntur, ex quibus praecipua breviter subiiciam.

I. Sicut unius inobedientia peccatores facti sunt multi; sic unius obedientia iusti constituuntur multi. Rom: 5. At inobedientia Adami fuit activa. Ergo etiam obedientia Christi activa iustificamur.

II. Factus obediens usque ad mortem crucis Philipp. 2. Duplex hic Christi obedientia: una ante mortem, altera in morte. Ergo utraque imputatur.

III. Deus emisit filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxii redimeret Gal: 4 E. activa impletio legis à Christo praestita nobis imputatur.

IV. Factus nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio etc. 1. Cor: 1. Ergo iustitia et sanctitas nobis imputatur.

Rom. 8.

V. Lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me à lege peccati et mortis, Ergo Christi vita seu obedientia activa etiam imputatur.

VI. Totus Christus est iustitia nostra, iustificat nos. Ergo totus imputatur.

VII. Iustitia activa non potest excludi à merito Christi et à iustificatione Ergo imputatur.

VIII. Lex obligat et ad obedientiam et ad poenam. Ergo oportuit Christum et obedientiam legis pro nobis implere, et poenam peccati perferre.

IX. Qualibus lex vitam promittit, tales necesse est nos gratia Christi effici, ut vitam consequamur, Lex vitam promittit non iis, qui legem non transgrediuntur, sed iis, qui totam implent, Atqui imputatione passivae obedientiae censemur quidem non iniusti, non peccatores, seu legem non transgredientes: nondum vero censemur iusti, seu legem implentes. Quid enim vanius quam iustum arbitrari eum, qui legem non impleverit? Ergo oportet non solum imputari passivam obedientiam ad hoc, ut simus non iniusti, seu non transgressores legis, sed etiam activam ad hoc, ut simus iusti seu legem implentes. Qui enim pro non peccatore censetur in Christo

mortem quidem effugerit: sed quo iure vitam praeterea petet, nisi omnem iu-
stitiam legis in eodem Christo impleverit?

X. Sacrificium et mors Christi nos consolatur adversus reatum et mortem aeter-
nam: sanctitas vero eius adversus inhaerentem adhuc impuritatem seu reliquias
peccatorum. Ergo ad consolationem nostram utriusq imputatio est necessaria.

XI. Deniq catechesis Palatina docet qq. LX et LXI perfectam satisfactionem,
iustitiam et sanctitatem Christi nobis imputari et donari, ut sit nostra iustitia. Et
q. XXXVI mediatorem sua innocentia ac perfecta sanctitate, nostra peccata, in
quibus concepti sumus, tegere, ne in conspectum Dei veniant. Idem in Agenda Pa-
latina passim repetitur.

Exposui bona fide argumenta quibus priores illi suas sententias defendunt.
Restant quarti, qui solam passivam Christi obedientiam iustitiam nostram esse statuunt,
et iustificationem sola remissione peccatorum definiunt. Hi duobus praecipue ni-
tuntur argumentis, ex Scriptura desumtis: unum à materia: alterum à
forma iustificationis.

Prius hoc est: Scriptura totam iustitiae nostrae materiam ostendit in passione
cruce, sanguine, morte Christi. Ergo haec sola est res, propter quam iustificamur.
Antecedens probant testimoniis scripturae: Iustificamur gratis per redemtionem
Rom: 3. 24 factam in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sangui-
Rom. 5. 9. ne ipsius. Iustificati sanguine ipsius. Reconciliati per mortem filii eius. Eum qui
2 Cor. 5. 21 non novit peccatum, fecit peccatum, id est hostiam pro peccato, ut nos fieremus iu-
Gal. 3. 13 Eph. 1. 7. Col. 1. 14. stitia Dei in eo. Factus pro nobis exsecratio in ligno, redemit nos ab exsecra-
Col. 1. v. 20. 22. tione legis. Habemus redemtionem per sanguinem eius. Pace per sanguinem cru-
cis eius facta, per eum reconciliavit sibi omnia. Reconciliavit in corpore carnis
1 Pet. 1. 15 suae per mortem. Redenti sumus precioso sanguine agni immaculati. Cuius vibicibus
Ies: 53. 1. Pet. 3 sanati sumus. Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Redemisti nos Deo
1. Ioh. 1. 7. Apoc. 1. 9. et 7. 14. per sanguinem tuum. Laverunt stolas suas et dealbarunt in sanguine agni.

Posterius hoc est: Scriptura totam iustificationem nostram definit remissione pec-
catorum propter sanguinem Christi. Ergo sola sanguinis effusio est id, cuius imputatio-
ne iustificamur, et remissio peccatorum est tota nostra iustificatio.
Antecedens confirmant scripturae testimoniis: Deus propitius esto mihi peccatori
Luc. 18. 13. Dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam prae illo. Notum sit vobis an-
Act. 13. 35 nunciari vobis remissionem peccatorum per istum, et ab omnibus, à quibus per

legem

legem non potuistis absolvi, per hunc omnem, qui credit iustificari. Hic absolvi,

Rom: 4. Psal. 32. iustificari, habere remissionem peccatorum, idem valent. David pronunciat beatum illum hominem, cui Deus imputet iustitiam absq operibus. Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui Deus non imputarit peccatum. Quis intentabit crimina electis Dei? Deus est qui iustificat,

Rom. 8. 33 Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est &c. Deus erat in Christo reconcilians

2 Cor. 5. 19 sibi mundum, non imputando eis peccata ipsorum. In quo habemus redemtionem per

Eph. 1. 7. Col. 1. 14. sanguinem eius, hoc est, remissionem peccatorum &c.

Habent hi et alia argumenta quae brevitatis causa non attingo. Allegant quoq pro se catechesin Palatinam qq XXXVII. XLV. LVI. LXVII. LXXII. LXXVI. LXXX. LXXXIIII quibus docetur, nos remissionem peccatorum, iustitiam et vitam aeternam obtinere propter unicum Christi sacrificium in cruce peractum: et solum sanguinem Christi purgare nos ab omni peccato: quod ipsum in Agenda palatina passim repetitur.

Hactenus recitavi discrepantes sententias περὶ δικαιώματος: nec attinet nominare authores, qui quam sequantur: cum res sit nota, et personas causis miscere nihil attinet.

CAPUT II.

Ad Secundum caput transeo, ostensurus breviter, salvis aliorum iudicijs, quid in his probare possim vel secus.

Qui primam sententiam sequuntur, non video quomodo ex scriptura probare possint essentialis iustitiae divinae imputationem: vel quorsum ea imputari dicatur: cum homo ad eam habendam vel praestandam nunquam fuerit obligatus. Nunquam enim Deus essentialem suam iustitiam homini contulerat, nunquam homo eam amiserat. Faciunt ergo iniustum Deum, quasi ab homine postulet iustitiam divinam, quam nunquam ei dederat, neque in aeternum est daturus.

Ratio eorum est paralogismus non causae. Etsi enim Christus totus est sacerdos, rex, servator, et totus iustificat: notum tamen est, quod ἀποτελέσματα officij: inter quae est iustificatio distinctis naturarum operationibus peragatur. Totus igitur iustificat, sed aliter secundum Deitatem, nempe ut causa efficiens, aliter secundum humanitatem, nempe ut causa promerens. Et fluit quidem dignitas meriti a dignitate personae, hoc est, a divinitate mediatoris: Verum hinc non sequitur, divinitatem venire in partem meriti, sed tantum esse meriti fontem. Oportebat enim mediatorem esse Deum, non ut Deitas vel iustitia Deitatis nobis imputaretur, aut iuxta Osiandri delirium essentialiter in nobis habitans iustitia nostra fieret, sed propter causam in catechesi quaest. XVII explicatam. Differunt igitur iustitia Deitatis et meritum, ut efficiens et effectum. Alia huius sententiae incommoda etiam ad duas sequentes pertinent.

Secundam igitur et Tertiam coniungo, nec differunt, nisi quod una tres, altera duas partes facit iustitiae imputatae. Omnes vero hae sententiae ijsdem incommodis laborant.

1. Omnes confundunt iustitiam personae et meriti Christi, quam scriptura frequenter

coniungit quidem, sed et manifeste distinguit ut causam efficientem vel ἧς οὐκ ἄνευ,

Ies. 53 et causam materialem iustitiæ nostræ: Vt. Servus meus iustus notitia sui iustificabit

Hebr. 7. multos. Talis nobis conveniebat pontifex qui esset Sanctus, separatus à peccatoribus,

2 Cor. 5. ut non pro suis, sed pro populi peccatis offerret. Eum qui non novit peccatum, fecit pro nobis

1 Pet. 3. peccatum, ut nos etc. ~~1 Pet. 3.~~ Christus passus est semel, iustus pro iniustis. Sic et catechesis nostra: quæst. 15. 16.

II. Distinctiones inter non iniustum et iustum esse, inter legem non transgredi et legem implere, inter non mortuum et vivum esse, plus habent subtilitatis, quam veritatis, cum revera sint termini æquipollentes, ut postea ostendam, Necessario enim qui coram Deo non est iniustus est iustus: qui legem non transgreditur, implet, qui non est mortuus vivit: siquidem hæc omnia sunt contraria ἄμεσα, quorum uno posito vel negato, necesse sit poni vel negari alterum.

III. Si passivæ obedientiæ imputatione nondum sumus iusti, sed tantum non iniusti, quomodo verum illud: Iustificati per sanguinem filij eius? Reconciliati per mortem eius?

IIII. Si remissio peccatorum non est iustificatio tota, quomodo verum illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates: Rom: 4? et quomodo Apostolus ibidem pro eodem sumit, imputare iustitiam, et non imputare peccatum?

V. Si omissio obedientiæ legis et imperfectio sanctitatis nostræ non expiantur passiva obedientia Christi: sed necesse est illam quidem actuali Christi obedientia, hanc vero nativa sanctitate tegi: quomodo rursus verum illud: Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato? nisi forte omissio et imperfectio illa non sint peccata.

VI. Si non passiva sed activa obedientia Christi iustificamur, quomodo Christus non frustra mortuus? Quid enim necesse erat Christum mori, et moriendo mereri nobis remissionem peccatorum? si iuste et sancte vivendo iam meritus nobis erat iustitiam? Iustitia enim remissionem peccatorum necessario præsupponit.

VII. Manifestum est omnem illam partitionem meriti Christi in duo vel tria, aut morti Christi aut iustitiæ Dei plurimum derogare. Nam duæ vel tres illæ iustitiæ nostræ partes, vel sunt tres perfectæ iustitiæ Christi, satisfacientes legi, per se singulæ, vel sunt totidem imperfectæ, ad unam personam conflandam concurrentes. Si imperfectæ: an non aperte derogatur morti Christi? Si perfectæ, quomodo non iniustus Deus, qui pro una culpa tres vel duas perfectas satisfactiones postulat, cum iustitia eius non nisi unam requirat?

VIII. Si pars iustitiæ nostræ quærenda est hic, pars ibi: pars in morte, pars in antegressa obedientia actuali, pars in nativa sanctitate Christi: quomodo non periculose distrahitur fides nostra, et labefactatur consolatio nostra?

IX. Deniq; quod unum me hic maxime impedit, nusquam lego, Scripturas sic tripar-

tiri

tiri aut bipartiri iustitiam nostram. Nusquam lego, sanctitatem humanam Christi no-
bis imputari, esse iustitiam nostram vel eius partem. Si quis legit, quaeso mihi ostendat
ut et ego legam, et credam. Nusquam etiam id lego de actuali obedientia. Neque
quinque testimonia illa quae afferunt tale quid probant: quod ostendo paucis.

Ex dicto ad Rom 5. plus concludunt quam sequitur. Neque enim valet con-
sequentia: Iustificamur obedientia Christi, Ergo activa. Apostolus opponit ὑπακο-
ὴν Christi τῇ παρακοῇ Adami, non ut actionem actioni, sed ut satisfactionem
culpae, ut remedium morbo: alioqui peccata omissionis non forent παρακοὴ.
At culpa Adami non tantum fuit perpetratio mali, sed etiam omissio boni. Quam vero
hic obedientiam intelligat, alibi expressius declarat, dicens: Factus obediens usque ad
mortem, mortem autem crucis. Haec vero fuit obedientia exinanitionis et mor-
tis. Et de eadem obedientia etiam Theophylactus utrumque locum interpretatur. Ne-
Phil. 2
gatur igitur in hoc altero loco, quem secundo obiiciunt, de duabus obedientiis verba
fieri. De una enim continuata obedientia usque ad mortem crucis apostolum loqui,
textus ostendit: humiliationis nimirum obedientia, quae formae servilis assumtione
caepit, et morte est terminata.

Nec locus Gal. 4 pro activa obedientia aliquid facit. Quomodo enim Christus
nostra causa sit factus obnoxius legi, apostolus ipse clarius interpretatur cap. 3.
Redemit nos ab execratione legis, factus pro nobis execratio, ut in gentibus bene-
dictio Abrahae extet in Christo Iesu. Hoc vero de voluntaria demissione usque ad mor-
tem crucis dictum intelligitur. Quatenus tn hic locus de servitute totius legis accipi
possit, infra monebo.

In dicto 1. Cor. 1. apostolus res quatuor coniungit, minime ut partes imputatae
iustitiae (quis enim in his numerabit sapientiam aut ipsam redemtionem?) Sed
ut summa capita beneficiorum Christi, quorum alia tantum imputatione, ut iu-
stitiam: alia etiam reali participatione nobis confert, in hac vita inchoate, in
altera perfecte, ut reliqua. Nulla igitur hinc partitio probatur.

In loco Rom: 8. est fallacia figurae dictionis. Neque enim lex spiritus vitae ibi
significat vitam vel activam obedientiam Christi, multo minus formalem sancti-
tatem eius, sed significat doctrinam vel gratiam vivificam evangelii. Locus est
obscurior. Ex scopo autem sententia simplex haec patet. Quod reliquiae carnis
non condemnent pios, modo eis per spiritum reluctentur (quod dixerat ver. 1.)
probat apostolus ver. 2. in hypothesi suae personae ab effectu evangelii: Lex,
inquit, Spiritus vitae, hoc est, doctrina vel gratia evangelii, quod est ministerium
spiritus vitae seu vivificantis nos in Christo Iesu: Liberum me reddidit, hoc est,
me et omnes credentes absolvit, liberos pronunciat: A lege peccati et mortis,
hoc est, a condemnatione, quam lex peccatoribus irrogat. Legem igitur spiritus
et legem mortis hic opponit apostolus, sicut opponit ministerium spiritus et mi-

nisterium condemnationis. 2 Cor. 3 8. quasi dicat, Etsi lex illa mortifera iustificatis in Christo Iesu propter multa reliqua peccata, quibus cum adhuc luctantur, damnationem irrogare tentat: tamen lex spiritus vitæ, hoc est, doctrina vel gratia evangelij vivifica, eos à damnatione absolvit: non obstantibus illis reliquijs peccatorum, quandoquidem hæ quoque eis sunt remissæ propter Christum. Sanguis enim Iesu Christi purgat nos ab omni peccato, et ab omnibus peccatorum reliquijs. Hæc salvo aliorum judicio mihi videtur genuina apostoli sententia. Verum hoc obiter, Ad reliqua argumenta pergo.

Sextum iam ante fuit solutum. Christus totus iustificat, sed aliter ut efficiens aliter ut materia iustitiæ. Et totus nihilominus iustificat, quantumvis passio vel mors tantum imputari dicatur. Totus enim est passus, mortuus. Neque excluditur à merito aut iustificatione activa obedientia, licet non imputari dicatur, quod vult septima ratio. Quomodo enim causa efficiens vel sine qua non excluderetur à suo effectu. Utraque sane obedientia, activa et passiva requirebatur in mediatore ad iustificationem nostri, sed diverso modo: illa ut causa ἧς οὐκ ἄνευ, sicut et nativa sanctitas: hæc ut materia.

In octava ratione antecedens negatur, quia inauditum est, legem obligare simul ad obedientiam et ad pænam: sed omnis lex obligat (disiunctivè non copulativè) vel ad obedientiam vel ad pænam. Quamdiu enim præstatur obedientia: lex neminem obligat ad pænam, id est, pronunciat reum poenæ, sed promittit vitam. Sed quando obedientia violatur, tunc lex peccantem obligat ad pænam. Hac de legibus divinis et humanis universaliter verum est. Sunt igitur hypotheses non veræ, et cum iustitia Dei pugnantes, quas hic assumunt. 1. quod Adam ante lapsum obligatus fuerit simul ad obedientiam et ad pænam. 2. quod homo post lapsum (et sic mediator pro homine) obligatus fuerit ad præstandam legi obedientiam, et ad luendam pænam. Obedientia violata homo peccator tenetur ad satisfactionem per pænam, Hac persoluta cessat esse peccator, et obligatur ad obedientiam, non eam pro cuius violatione satisfecit per pænam, sed ad aliam novam: vel si hanc rursus violet, ad novam pænam. Christus ergo nostram personam suscipiens obligabatur ad satisfaciendum pro nobis per pænam. Hac persoluta, et nobis imputata per fidem, nos sumus iusti: et obligamur porrò ad novam obedientiam vel ad novam pænam. Hanc novam obedientiam Christus etiam per regenerationem in nobis instaurat, sed imperfectè: et hanc imperfectionem etiam tegit satisfactio Christi, ne nos condemnet: quia Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato, nempe tam sequentem quam antecedentem iustificationem.

Nona ratio videtur argutissima, sed revera nititur meris contradictionibus et seipsam elidit, estque adversa scripturæ. Primo, aperta contradictio est, cum di-

citur

citur; Lex promittit vitam implentibus legem, et non promittit vitam non transgredientibus legem. Ratio est, quia non transgredi legem et implere legem reuera sunt idem. Probatur ex contrario. Transgredi legem est violare legem, faciendo quod prohibet, vel omittendo quod præcipit. Ergo non transgredi legem est non violare legem faciendo quod prohibet, vel omittendo quod præcipit. Hoc autem reuera est implere legem. Qui enim nec contra legem facit, nec legem omittit, profecto legem implet. Quicunque igitur legem non transgreditur, legem implet. Idem est manifestum ~~etiam~~ in πρωτοπλάστῳ Adamo ante lapsum. Is enim quamdiu non peccabat, legem implebat continuo actu in originali rectitudine perseverans. Et angeli beati in cælis nonne implent legem eo ipso, quod nihil peccant? Nobis quoque in vita æterna an non legem implere erit non peccare? Vel igitur hæc sunt idem, vel ita certe connexa, ut separare aut medium cogitare simpliciter sit impossibile. Secundo igitur ἀσύστατον id quoque est, quod dicitur, legem non promittere vitam non transgredientibus. Atqui promittit vitam implentibus legem. Non transgredi autem est implere. Tertio etiam contradictionem implicat, quod dicitur, obedientiâ passivâ nos censeri non iniustos, seu non peccatores: nectamen censeri iustos: Item: non peccatores in Christo mortem quidem effugere, sed vitam petere non audere. Idem enim rursus affirmatur et negatur de terminis æquipollentibus. Nam certe qui coram Deo non est peccator, est iustus, et qui non est mortuus, seu qui mortem effugit, est vivus. Sunt enim contraria ἄμεσα, ut dictum est. Quarto scripturis aperte repugnat, quod dicitur, nos passivâ obedientiâ Christi non censeri iustos, hoc est, non iustificari. Nam contrà expresse dicitur: Iustificati sanguine eius: reconciliati per mortem filij eius. Laverunt stolas suas in sanguine agni. Cum his et similibus dictis clarissimis et inter se quoque subtilitates illas et partitiones concilient qui possunt: Ego fateor me non posse.

Ad decimam rationem respondetur ex dicto: Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato, Atqui certe impuritas sanctis adhærens peccatum est. Ergo ab ea etiam mundat nos sanguis Christi. Cur igitur trepidæ conscientiæ in tentatione à sanguine Christi ad aliud remedium quærendum relegantur, contra tam manifestam scripturam?

Denique ad catechesin Palatinam quod attinet, dicit ea quidem duobus locis, satisfactionem, iustitiam et sanctitatem Christi nobis imputari: et semel, peccatum originale sancta conceptione et nativitate mediatoris tegi: Sed non venisse authori eius in mentem, iustitiæ imputatæ materiam

tripartiri, vel sanguini Christi expiationem originalis peccati et iustificationē derogare, ex eo firmissime constat, quod alibi toties et tam aperte passioni, morti, sacrificio Christi et quidem soli atq unico meritum iustitiæ et vitæ æternæ asscribit: et propter hoc meritum etiam peccatum inhærens nobis remitti testatur. Aut igitur pugnat secum catechesis, quod absit: aut non tripartitur iustitiam imputatam, neq passivæ obedientiæ meritum iustitiæ derogatur. De conciliatione vero infra dicam.

// SUPEREST quarta sententia, quod iustitia nostra sit obedientia mortis seu pœna filij Dei pro nostris peccatis: et quod iustificatio tota sit remissio peccatorum propter hanc satisfactionem nobis imputatam. Hanc sententiam ut veriorem, simpliciorem, ac tutiorem amplecti me profiteor, sic tamen, ut recte et ad mentem sacræ scripturæ intelligatur et explicetur.

Veriorem dico, quia constans vox est totius evangelij, nos iustificari morte et sanguine filij Dei, et iustificationem nostram in sola remissione peccatorum consistere. Testimonia evangelij supra sunt recitata. At est synecdoche totius in vocabulo sanguinis mortis etc. Resp. Est sane: sed non talis, qua tres vel duæ iustitiæ plane ἑτερογενεῖς, ut sunt sanctitas nativa, iusticia activa, et obedientia passiva in unum meritum conflentur. Nulla enim est ratio, cur duæ priores sanguinis aut mortis nomine censeantur. Est vero synecdoche totius humilitatis, ut dicetur.

Dico et simpliciorem, quia nulla partitione meriti fidem huc illuc distrahit, nec consolationem turbat, sed in lucta conscientias ad unicam Christi mortem cum scriptura remittit: quippe qua sola plene satisfactum est iustitiæ et comminationi divinæ: Morte morieris: Hac satisfactione per fidem nobis applicata ipsi satisfacimus, sumus absoluti, iustificati, reconciliati Deo per sanguinem filij eius. At, inquis, ad iustitiam non satis est pœna pro peccato, sed et requiritur impletio Legis. RESP. Etiam pœna est impletio legis. Ergo sufficit. Dupliciter enim lex impletur, vel per obedientiæ perfectæ præstationem, vel cum hæc est violata, per sufficientis pœnæ perpessionem. + Utraq igitur est legis impletio, est iustitia et δικαίωμα. De priore dicitur; Qui facit iusticiam iustus est. De posteriore: Qui mortuus est iustificatus est a peccato. Priorem impletionem homo habuit ante lapsum, eaq fuit iustus; nec tenebatur ad alteram, quamdiu non peccabat: quia iustitia Dei non postulat simul utramq, sed alteram: quandoquidem lex, ut dictum est, crea-

+ Utraq satisf. iustitiæ Dei.

1. Ioh. 3. 7
Rom. 6. 7

tulas.

turas rationales obligat non copulatiue ad obedientiam et ad pœnam simul (hæc enim iniquitas summa esset, obedientiam præstantes obligare ad pœnam) sed disiunctive ad obedientiam vel ad pœnam. Priore vero impletione violata post lapsum, homo tenetur ad impletionem posteriorem, qua præstita iustificatur à peccato, et Deo reconciliatur. Hanc Christus præstitit pro nobis moriendo, et donat eam nobis per fidem. Hæc igitur ad iustificationem nobis sufficit: quia mortui cum Christo iustificati sumus à peccato. Hoc docet Paulus Rom: 8. condemnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis, τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, impleretur in nobis: et 2 Cor. 5 Eum qui non novit peccatum, fecit peccatum pro nobis ut nos fieremus iustitia Dei in eo. ~~sed~~ Iustificatos per pœnam lex rursus obligat ad impletionem priorem per obedientiam, aut si non præstetur, ad posteriorem per pœnam. Priorem igitur etiam recuperamus in Christo, sed inchoate tantum in hac vita per regenerationem, consumate ~~[illegible]~~ in altera per glorificationē. Ex quibus manifestum est, iustificatis à peccato per mortem filij Dei, impletionem legis nullo iure adimi posse; proinde neq iustitiam et vitam.

Tutiorem deniq dico, quia nullum eorum incommodorum incurrit, quæ sententiæ aliæ necessariò secum trahunt, quamdiu iustitiam personæ et meriti Christi confundunt et meritum in partes tam ἐλεεινῶς distrahunt.

Possem huc afferre authoritates patrum, qui iustitiam nostram similiter in sola ponunt remissione peccatorum propter Christi mortem, ut cum Augustinus dicit: Asylum nostrum remissio peccatorum. Quid est iustificati sanguine ipsius? Cum nobis irasceretur Pater, vidit mortem filij sui pro nobis et placatus est nobis. Tota spes mea in morte Domini est: Mors eius meritum meum est, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea. Et Oecumenius: Quomodo fit iustificatio? Per remissionem, quam in Christo Iesu consequimur. Et Ambrosius: Credens est salvus sola fide sine operibus, gratis accipiens remissionem peccatorum. Nec addo plures. Possem quoq afferre consensum Lutheri, Melanchthonis, Zwinglij, Oecolampadij, Bullingeri, Calvini, Martyris, Musculi, Hyperij, Ursini, Oleviani, à quorum doctrina de iustificatione latum unguem non discedo. Neminem horum fecisse tripartitam aut bipartitam iustitiam imputatam certo est certius. Sed longum foret testimonia proferre. Sufficiat articulus V Augustanæ confessionis, cui in hoc capite omnes subscribunt: Homines iustificantur gratis propter Christum per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro peccatis nostris satisfecit. Et in editione posteriore: Cum evangelium arguit pecca-

De civit. Dei l. 2. c. 29
De Trinit. l. 15.
In manual. c. 22
In Rom. 3.
In 1. Cor. 1. 4.

ta nostra, corda nostra perterrefacta statuere debent, quod gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum et iustificatio per fidem, qua credere et confiteri debemus, hæc nobis donari propter Christum, qui pro nobis factus est hostia, et placavit patrem. Hic iustificatio expresse tribuitur fiduciæ mortis Christi. Coniunguntur autem remissio peccatorum et iustificatio, non ut diversa, sed ut unum beneficium συνώνυμον: quod testatur Apologia dicens: Consequi remissionem peccatorum est iustificari, iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Et Melanchthon in locis: Iustificatio significat remissionem peccatorum seu acceptationem personæ ad vitam æternam. Sic et Calvinus: Non aliter iusti coram Deo reputamur, nisi gratuita remissione peccatorum. Et confessio Gallicana: Credimus totam nostram iustitiam fundatam esse in remissione peccatorum nostrorum, in qua nostra quoq felicitas omnino consistit, ut dicit David etc. Et Catechesis Saxonica anno 71: Remissio peccatorum et iustificatio non differunt. Ideo iustificatio definitur quod sit remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiæ, et acceptatio ad vitam æternam. Quin sufficiat nobis Catechesis nostra, quæ initio statim secundæ partis docet, liberationis nullum alium esse modum, quam satisfactionem per pœnam sufficientem pro peccatis: et hanc pœnam sufficienter luendo pro nobis Mediatorem nos redemisse, suaq passione tanquam unico sacrificio propitiatorio nobis gratiam Dei, iustitiam et vitam æternam acquisivisse.

At, inquies, Theologi prædicti docent, iustificationem constare remissione peccatorum et imputatione iustitiæ. Ergo non constat remissione sola. RESP. Nec ego nego his constare. Sed quomodo? an ut partibus integralibus, quarum neutra sit tota iustificatio? Nequaquam: Sed ut actibus ratione tantum non subiecto differentibus, respectu differentium terminorum a quo et ad quem: qualibus constare solent actiones, quæ fiunt contrariorum immediatorum ἄρσις καὶ θέσις, quæq cum reipsa et subiecto sint una actio, tamen distinguuntur τῷ λόγῳ et respectu. Verbi causa, dealbatio parietis fit pulsione nigredinis et aspersione albedinis. Simul tamen et eadem actione, qua hæc aspergitur, illa pellitur, et contra: ideo reipsa sunt una actio: ratione tantum differunt. Repletio vasis fit pulsione vacui, et infusione liquoris; utraq tamen fit una actione. Vestitura, ut sic loquar, qua vestitur corpus, fit tegendo nuditatem, et applicando vestem. Eadem tamen actione fit utrumq. Sic igitur in iustificatione (quæ vestituræ non est absimilis) concurrunt remissio pecca-

torum

torum et imputatio iustitiæ, non ut diversæ actiones vel partes, sed ut actus termi-
nis differentes. Nam Deus remittendo nobis peccata propter iustitiam Christi, eandem
imputat: et eam imputando, peccata remittit. Coniungi ergo hæc solent in iustifica-
tione non tam copulativè quam exegeticè, ut posterius declaret prius. Sic Calvinus
iustificationem (inquit) simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos Deus in
Inst. l. 3. c. 11. §. 2. gratiam receptos pro iustis habet, eamq. in remissione peccatorum et imputatione
iustitiæ Christi positam esse dicimus. Hic copulam ET exegeticè poni, ipse Calvi-
nus non obscurè indicat sectione sequente: Vides, inquit, post remissionem pecca-
torum iustificationem hanc velit interpretationis loco poni. Ideo idem alibi passim
inculcat, iustificationem NIHIL NISI remissionem peccatorum esse.

Dixi deniq. sententiam scripturæ sanguini, morti, cruci Christi iustitiam no-
stram tribuentis, recte intelligendam et explicandam esse. Recte intelligi voco, si
nec late, nec anguste nimis intelligatur. Late nimis intelligitur, si etiam ad
iustitiam Deitatis essentialem et Humanitatis formalem vel actualem extendatur.
Anguste nimis, si ad solam crucifixionem aut mortem triduanam, exclusis per-
pessionibus antegressis restringatur. Declarationem igitur paucis positionibus subiicio.

Prima. Iustitia personæ et iustitia meriti Christi ut non debent divelli, ita non
debent confundi, sed distingui in iustificatione. Ratio est, quia scriptura ipsa
distinguit inter qualitatem personæ Mediatoris merentis nobis iustitiam: et inter
meritum vel iustitiam ipsam, tanquam inter prius et posterius, imò tanquam in-
ter causam et effectum. ut Iesa. 53. 11. Servus meus iustus etc. Hebr. 7. 26.
Talis nobis conveniebat pontifex qui etc. 2. Cor. 5. 20. Eum qui non novit
peccatum etc. 1. Pet. 3. 15. Christus semel passus est, iustus pro iniustis etc. His et
similibus locis tribuitur Christo duplex iustitia, quasi duplex vestis: una, qua
ipse ornatus fuit, altera quam nobis donat. Hac distinctione neglecta multi-
plex confusio sequitur, et plurimis incommodis implicatur hæc doctrina, ut
difficilius contra papistas et alios adversarios defendatur.

Secunda. Iustitia personæ vocatur, quæ requirebatur in persona mediatoris
partim ut causa efficiens: partim ut ὧν οὐκ ἄνευ nostræ iustitiæ. Oportebat
enim mediatorem esse Deum et hominem iustum, ut iustitiam nobis mereri et
conferre posset. Iustitia meriti seu meritum vocatur λύτρον et satisfactio me-
diatoris pro nobis, et propriè est causa materialis nostræ iustitiæ, hoc est, res
ea quæ ad iustitiam nobis imputatur. Quod nisi concedatur, confusio mul-
tiplex, de qua est dictum, evitari nullo modo potest.

Tertia. Sicut autem iustitia personae non est tantum actualis obedientia Christi, sed complectitur totius personae θεανθρώπου iustitiam divinam et humanam, hoc est essentialem deitatis, et formalem atque actualem humanitatis, tanquam summam personae Mediatoris perfectionem, absque qua pontifex et servator noster esse non poterat: Sic iustitia meriti seu λύτρον, non est tantum sanguis, et mors Christi, sed complectitur totam obedientiam humiliationis ab articulo conceptionis usque ad mortem crucis. Tota enim vita Christi miseriarum et dolorum plena, quid fuit nisi perpetua quaedam passio et poena peccatorum nostrorum? Nam ex ordine iustitiae divinae, cum Christus esset iustissimus, vita eius non debuit esse misera et aerumnosa, sed plane ἄλυπος, fortunata et felix. Quod vero misera fuit, poenae et satisfactionis rationem habuit pro nostris peccatis.

Quarta. Cum igitur scriptura iustitiam nobis monstrat in sanguine, cruce, morte Christi, non loquitur exclusive, quasi perpessiones mortem antegressae ad meritum non pertineant: sed synecdochice complectens sub complemento λύτρου etiam omnes antecedentes gradus, hoc est, initium, incrementa, et consummationem. Initium fuit in ipsa incarnatione, quando forma servi assumta factus est pauper propter nos etc. Incrementa fuerunt in tota vita, quam in perpetuis exegit miseriis, tentationibus, periculis, irae Dei obnoxius propter nos. Consummatio denique fuit in cruce et morte, quando spiritum emittens clamavit: Consummatum est. Haec omnia in Christi λύτρῳ coniungit Iesaias cap: 53. Vere languores nostros tulit, et dolores nostros portavit, Vulneratus est propter praevaricationes nostras: attritus propter iniquitates nostras et livore eius sanati sumus. Et apostolus 2 Cor. 5. Cum esset dives factus est pauper propter nos, ut nos eius paupertate ditesceremus. Et Hebr. 2. Paulisper factus est inferior angelis propter mortis perpessionem. Et Praecipue vero Phil. 2. Cum esset in forma Dei exinanivit seipsum, forma servi assumta, et humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem crucis. Nec valet cavillatio, apostolum hic non agere de materia nostrae iustitiae.
Rom: 5 Satis est, quod obedientiam, quam esse nostram iustitiam alibi docuit, hic ad totam humiliationem extendit. Nec obstat locus Hebr. 9. 22. Absque sanguinis effusione non fit remissio. Tantum hinc sequitur, a causa remissionis non excludi sanguinis effusionem, sed hanc esse causam

his

ὡς οὗ ἄνευ, non autem, hanc esse causam solam, vel excludi mortem subsequentem, aut perpessiones antegressas. Tota igitur humiliationis obedientia usq ad mortem crucis ad meritum Christi pertinet.

Quinta. Cur vero scriptura meritum, quod toto obedientiae suae cursu Christus nobis acquisivit, morti eius quasi peculiare ac proprium asseribat, causa est: quia in sola Christi morte meriti sufficientia consistit. Nam sine morte obedientia humiliationis non fuisset absoluta, nec fuisset satisfactum divinae comminationi: Morte morieris. Sine morte igitur reliqua Christi obedientia fuisset meritum insufficiens, neq nobis profuisset. Qui vero obedientiae activae aut sanctitati nativae meritum iustitiae asscribunt, mortem Christi sine dubio inanem reddunt.

Hac observata explicatione vera et consentanea scripturae, manifestum evadit: Primo, ab utraq controvertentium parte aliquid peccari ab illis quidem, quod et iustitiam personae cum iustitia meriti confundunt et meritum in plura heterogenea dividendo, non modo fidem et consolationem turbant, sed et merito Christi iustificationem contra scripturas derogant ab istis vero, quod a iustitia meriti totam Christi vitam, humilitatem et perpessiones mortem antegressas excludunt, et particulam exclusivam sola in phrasibus: Sola mors iustificat: Solus sanguis purgat: et opponunt vitae et obedientiae antegressae, cum in genere causae meritoriae seu materialis partim quidem iustitia personali, partim vero et praecipue meritis humanis omnibusq causis alijs externis opponatur: nisi particulam solam ad sufficientiam restringant, de qua positione quinta est dictum.

Deinde, facilem hanc fore conciliandae controversiae rationem: si omnes omnia illa communia, in quibus eas supra convenire dixi, de iustificatione gratuita fidei per iustitiam Christi imputatam contra papistas et merita humana consentienter doceant: nec de hac iustitia seu materia iustitiae imputatae ad vulgus in concionibus scrupulose disputent: sed phrasibus scripturae utantur et contenti sint, nos non operibus, sed fide, non iustitia nostra, sed aliena obedientia, videlicet sanguine & morte filij Dei nobis imputata, et per fidem applicata iustificari ex. Nam haec ad consolationem veram, et ad refutanda merita humana omnibus sufficiunt.

Quod ad scriptum ipsum attinet, si omnino in scholis tangendus sit, ad conciliationem tolerabilem obtinendam, necesse erit id caveri utrinque, quod sententias maxime separat. Posteriores offenduntur partitione meriti in tam diversa: quia vident multa inde nasci absurda, et scripturis vim fieri. Priores contra offenduntur restrictione meriti ad mortem: quia metuunt, ne vita et obedientia antegressa excludatur contra scripturas. Quid ergo? Necesse est, alteri ne partiantur materiam meriti in duo, tria vel quatuor, ut fit: non adimant morti iustitiae meritum, nec remissioni peccatorum iustificationem: Alteri, ne restringant meritum ad effusionem sanguinis in cruce, aut ad mortem triduanam, nec excludant vitam et obedientiam antegressam. Ab utrisque vero:

1 Distinguatur cum scriptura iustitia personalis à merito, tanquam causa efficiens et sine qua non, à materiali: quandoquidem ex confusione necesse est nasci varia incommoda, quibus labefactatur sententia scripturae, turbantur conscientiae, et papistis praebetur cavillandi occasio, ut est ostensum positione 1. et 2.

2. Recte limitetur iustitia personae mediatoris: iuxta posit: 3.

3. Rite quoque definiatur iustitia meriti: et synecdoche sanguinis, mortis, passionis obedientiae, de tota humiliatione Christi intelligatur iuxta positionem 4 et 5.

4. Addatur pro conciliatione hoc insuper: sub humiliatione etiam comprehendi servitutem spontaneam legis, et sic etiam obedientiam activam, quam vocant adeò, ut haec quoque [redacted] certo respectu in meriti rationem veniat: quatenus nimirum, ut spontanea servitus, à filio Dei nostra causa suscepta et praestita consideratur. Dupliciter enim obedientia illa considerari potest: primo ut conformitas cum lege, et sic est iustitia personae mediatoris. Deinde ut servitus legis, cui nostra causa Christus se sponte fecit obnoxium: et sic ad meritum pertinet. Etsi enim Christus, qua homo, ipse quoque obedientia legis tenebatur: tamen qua iustus, sanctus et filius Dei etiam iuxta humanitatem, ad pleraque tam primae quam secundae tabulae officia non erat obligatus: quibus tamen se sponte subiecit: et sic totius legis servus est factus propter nos, ut nos à servitute, coactione, et damnatione legis redimeret. Sic spontanea servitus fuit, quod est circumcisus, quod sabbatha et festa servavit, quod subiectus fuit parentibus, et Caesari, didrachmum solvens, quod proximo servivit, cum esset circumcisionis, sabbathi, parentum, Cae-

saris

saris et proximi Dominus. De hac servitute legis, illud quoque apostoli intelligi potest. Gal. 4 Deus emisit filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium ut e. Sic minus valebit querela de exclusione activae obedientiae à merito. Verum hanc conciliationis partem quae forte scrupulosis non ~~[illegible]~~ satisfaciet, libenter in medio relinquo. Qui cupiunt haec sententiarum dissidia sopita, de rationibus pacis amplius cogitabunt, et meliora ostendent. Mihi haec satisfaciunt.

CAPUT III

Ex his porro liquet, quod tertio loco quaesitum fuit, quomodo haec doctrina pro concione tractanda sit, et an τελικῶς καὶ ἀντιτελικῶς de ea ad populum disputare conveniat. Ego sane hoc committendum non arbitror. Quid enim aliud ex eiusmodi disceptatione expectari possit, quàm ut rudiores turbentur in fide, et in eam descendant cogitationem, doctrinam de iustitia fidei hactenus traditam in Ecclesiis Evangelicis lubricam et incertam nobis esse, in qua tamen primum olim est factum à papatu divortium? Et potest ecclesia aedificari in fide et consolatione etiam absque antithesi: qua sane non adversarii, sed fratres perstringerentur; horum animi distraherentur in periculosas διχοστασίας, et certamina atque scandala augerentur nostra culpa. Certe pontificii hanc ansam utraque manu arriperent nos splendide traducendi, nobis scilicet in eo capite non convenire, in quo proram et puppim Evangelii hactenus posuerimus. Accepit papatus in emendatione doctrinae de iustificatione per Lutherum et alios primum, ut dixi, et luculentum vulnus. An vero nos hoc vulnus bestiae iterum sanabimus? neque cogitabimus quas Deo rationes simus reddituri φιλονεικίας nostrae?

At est periculum, ne error pro veritate in ecclesia obtineat. Non est: modo retineantur, et sedulo doceantur ea, quae sunt in confesso; In reliquis adhibeatur moderatio & candor, audiantur placide fratres, et conferantur sententiae secum, et cum verbo Dei: denique nodus in scirpo non quaeratur.

CAPUT IIII

Restat quartum caput de Catechesi et agenda Palatina, an in his quaedam omittere, vel etiam eradere oporteat. Hic nescio mirer magis an doleam quorundam προπέτειαν, qui sibi fas esse arbi-

trantur sacra et profana omnia ad calculum vel potius virgulam suam revocare, et, quæ videtur, obelo critico configere. Audio pædagogos tertianos aut quartanos non veritos miseris pueris pro imperio dicere: Deleatur, aut sic corrigatur hæc quæstio. Hæc libido ferenda non erat. Si quid altius illi saperent quam alij, suam potius catechesin vel agendam novam sibi fabricarent: Aut si quid erroris in Palatina pervidERUNT fraternè monerent de emendatione eos, ad quos ea cura pertinet, et qui parati erunt rationes reddere. Videtur sane prætensus ille zelus nec conscientiæ multum nec scientiæ satis habere. Nam qua conscientia mutabunt illi non sua sed aliena? eradent privati ea, quæ publicè ad plures ecclesias pertinent? Si scientiæ satis habent, hoc est, si catecheseos mentem bene ubique perspexerunt, et candorem adhibere volunt, quem in ambiguis adhibere par est: intelligent nulla opus esse rasione: quia omnia satis conveniunt, modo dubia secundum manifestiora, et pauciora secundum plura, uti est æquum, accipiantur. At nihil dubium vel ambiguum in catechesi esse oportuit. Fateor sane: nec ~~[illegible]~~ tale quid irrepsisset, si postquam hic scrupus moveri cœpit, scribenda fuisset.

Manifestiora igitur et plura de iustitia meriti Christi in Catechesi occurrunt hæc. 1. Quæst. 13 et 14 docetur, liberationis et cum Deo reconciliationis modum nullum fuisse alium, quam ut vel ipse homo peccator, vel pro homine peccatore Mediator divinæ iustitiæ satisfaceret per sufficientem pœnam. Ergo pœna mediatoris pro nobis est satisfactio nostra, et res ea, per et propter quam Deo reconciliamur et iustificamur: nam hæc duo apostolo idem valent. Rom. 5. v. 9. 10.

2. Quæst. 15 et 16 docetur, Mediatorem oportuisse esse verum Deum et verum hominem perfecte iustum, idque ut posset λύτρον pro nobis dependere, quod peccator non potuisset. Ergo iustitia personæ distinguitur à λύτρῳ tanquam causa ab effectu: et iustitia formalis atque actualis mediatoris pertinet ad iustitiam personæ, tanquam causa sine qua non.

3. Quæst. 21. docetur, propter hoc Christi λύτρον omnibus credentibus donari remissionem peccatorum, æternam iustitiam et vitam. Ergo

catechesis

catechesis non ita partitur remissionem peccatorum et iustitiam, ut illa propter λύτρον, hæc propter iustitiam activam donetur.

4. Quæst. 37 docetur, Christum sua passione tanquam unico sacrificio propitiatorio nobis gratiam Dei iustitiam et vitam acquisivisse; et quidem hanc passionem per totum vitæ tempus extendi, quo in terris egit, etsi præcipuus passionis actus fuerit in vitæ extremo. Rursus igitur meritum iustitiæ et vitæ non activæ, sed passivæ obedientiæ asscribitur: et simul passio buendo-κενῶς de tota humilitate intelligitur.

5. Quæst. 40 iterum docetur, nullo alio pacto potuisse pro nostris peccatis satisfieri iustitiæ et veritati divinæ, quam ipsa morte filij Dei. Rursus ergo confirmatur, mortem filij Dei esse satisfactionem, hoc est, rem eam per et propter quam iustificamur.

6. Quæst. 45. dicit Catechesis, ideo resurrexisse Christum, ut posset nos eius iustitiæ, quam nobis morte sua pepererat, participes facere. Ergo mors Christi nobis peperit iustitiam, et imputatione eius censemur non tantum non iniusti, sed etiam iusti.

7. Quæst. 56. docet, Deum propter satisfactionem Christi (quæ est pœna et mors eius) omnium nostrorũ peccatorum, etiam originalis, memoriam deposuisse, et nos iustitia Christi gratis donare. Rursus igitur confirmat, mortem esse non modo remissionis peccatorum omnium, etiam originalis; sed et ~~[illegible]~~ iustificationis meritum: neq necesse esse, originale peccatum tegi sanctitate humanitatis, ne in conspectum Dei veniat.

8. Denique quæst: 66. 67. 70. 72. 74. 76. 80 identidem repetitur, nos propter unum Christi sacrificium, sanguinem, mortem, habere remissionem peccatorum, iustitiam et vitam æternam. In his igitur omnibus nulla d~~a~~oretur, nec cogitari potest talis partitio meriti, quasi imputatione mortis Christi tantum remissionem peccatorum, et ut nonnulli recens loqui cæperunt, tantum privativa beneficia: imputatione vero actualis obedientiæ, iustitiam demum et beneficia positiva consequamur. Catechesis omnia simul morti tribuit, sicut et scriptura Ioh. 3. Dedit filium unigenitum (nempe in mortem) ut omnis

qui credit (nempe filium pro se tradi[tum et] mortuum) non pereat, sed habeat vitam æternam.
At inquis, quæst: 60. 61. iustitiam imputatam expresse partitur in tria perfe-
ctam satisfactionem, iustitiam et sanctitatem, quæ tria nobis imputari dicit: et quæst:
36 dicit, mediatorem sua innocentia et perfecta sanctitate nostra peccata, in quibus
concepti sumus, [tegere] ne in conspectum Dei veniant.

Quod ad prius, aut est fatendum ista pugnare cum superioribus: quod
charitas, et candor Christianus statuere vetat; aut neganda est partitio, et com-
moda istarum inuenienda interpretatio et conciliatio. Salvis aliorum iudiciis
dicam quid ego hic statuam, et quomodo catechesin excusare soleam. Dico igitur
catechesin hæc tria coniungere quidem, sed non, ut dicebatur, expresse tanquam
tria partiri: Coniungit inquam tria illa, non ut partiatur iustitiam imputatam
in hæc tria, ut diversa, quasi imputata satisfactio nos faciat non iniustos, iusti-
tia iustos, sanctitas sanctos: nam diuersum prius docuerat: Sed vel quia au-
thores catecheseos phrasin hanc ex confessione D. Bezæ (cuius eam propriam
esse constat) absq metu cavillationis retinuerunt, nullam interim ipsi partitioné
observantes aut intendentes: vel quia his quasi συνωνύμοις totum cursum
obedientiæ humiliationis usq ad mortem ἐμφατικώτερον notare voluerunt.
Est enim humiliatio et mors Christi satisfactio: quia per eam iustitiæ divinæ
est satisfactum pro nobis. Est et iustitia, quia est impletio legis per pœnam. Et
deniq sanctitas, quia est sanctum sacrificium, de quo dicitur: Pater ego me san-
ctifico pro eis: Et: unica oblatione consecravit omnes qui sanctificantur.

Ioh: 17
Heb. 10.

Coniecturam [certam] inde facio, quod in prima editione Germanica [illegible]
anno 64 non eadem, sed similia tria ei fuerant coniuncta pag. 21. [illegible]
Verdinstes werden wir also theilhaftig, das uns all sein gehorsam, ge-
rechtigkeitt und heiligkeitt, also von Gott wird zugerechnett, sed
postea, moto scrupo partitionis, D. Vrsinus libri author, consensu collegarum
maxime D. Oleviani, vitandæ ambiguitatis et cavendæ controversiæ causa,
quatuor illis vocabulis, all, gehorsam, gerechtigkeitt und heiligkeitt in al-
tera editione anno 66 sua manu dispunctis, hæc verba reposuit: Das uns
sein leiden und sterben, damit er für alle unsere sünde gnug gethan, und

und

Vnd das ewige leben verdienet hatt, also von Wort &c. non sententiam
mutans, sed ἀμφιβολίαν cavens et tollens. Autographum authoris sic litu=
ratum et emendatum ipse habeo ad manus. Si idem in catechesi tunc fuisset
factum, minus nunc labo(ra)remus. Scio rumores spargi, Vrsinum ante obitum
sententiam mutasse, An vero cum Vrsino mutata fuisset veritas? Sed fides sit
penes authores. Ego tum alijs argumentis indubijs, tum hoc unico, ut di=
versum statuam, firmiter inducor, quod in consideratione commonefactionis
Chytraei, quam in morbo scripsit, absolvit, excudendam dedit, corrEXit adeo, ut
pridie mortis, cum forte sphalma obrepsisset typographo ipse non quieverit, do=
nec id à M. Pithopaeo (ex cuius ore haec scribo) correctum audiret, tandemq
dixerit; Nu bin ich zu friden, in hac, inquam, Cygnaea cantione D Vrsini pag.
209 haec postrema eius confessio his verbis expresse legitur: Christus fidelibus
suis donat iustitiam et vitam aeternam propter sanguinem suum in cruce effusum.

Ad quaestionem 36 quod attinet, liquet eam agere non de causa materiali,
sed de efficiente et sine qua non nostrae iustitiae. Innocentia igitur et sanctitas
mediatoris peccatum nostrum originale, fontem reliquorum, tegere dicitur effe=
ctive: quia efficit tanquam ὡς ὧν ἄνευ, ut mediator tegere et expiare posset,
quoniam oportebat eum innocentem et perfecte sanctum nasci, ut posset pro
nobis fieri victima. Heb. 7. Tegere vero ut meritum intelligi non potest;
tum quia quaest. 56 (Catech.) diversum docet: tum quia repugnat illud Iohannis:
Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Hac moderatione adhibita
quam passim in ipsis scripturis sacris conciliandis adhiberi oportet, omnia in
catechesi bene convenient. Neque Agendae Palatinae diversa est ratio vel sen=
tentia. Si authores ipsos superstites haberemus, nodos omnes haud=dubie
solverent dexterius: quanquam sententiam illi suam minime obscuram nobis
reliquerunt. Qui vero non solvere, sed secare hos nodos cogitant, pro
libitu quiduis mutando aut eradendo, per me quidem licebit, suo illi fru=
antur sensu: certo tamen confirmo, nullam eos sui instituti causam satis
gravem habituros, si ad legitimam cognitionem res veniat.

Prudentis igitur magistratus officium [illegible] esse iudico providere, ne quid temere à quoquam hic admittatur, quod cum iusta offensione multorum fratrum, et perturbatione ecclesiæ coniunctum esse queat.

Hæc habui, Generose D. Comes, quæ de hoc scrupulo (sic enim potius quam controversiam haberi velim) intelligendo et tollendo respondere nunc potui. Prolixitatem, qua moram utcunq compensandam esse duxi, moleste ne feras oro. Quod vero libere sententias contuli, et meam non dissimulavi pro tua pietate in meliorem ut partem accipias, etiam atque etiam peto. Nihil in his est, quod non ferre possim sciri à pluribus, aut quod celari velim: quandoquidem veritas lucem non fugit. Tuæ tamen prudentiæ committo omnia. Si quis quid aliter sentit, hoc quoq ei Deus reteget, ut pro-
Phil. 3. 15. mittit Apostolus. Sectemur modo veritatem cum charitate. Oportebat sane coagmentatos esse eadem mente et sententia, et idem loqui omnes, iuxta eiusdem apostoli monitum: verum quando quæso fuit aut erit (nisi in illa perfectione quam expectamus) ea ecclesiæ felicitas, quin aliqua aliquando etiam summorum patrum, etiam apostolorum ἑτεροδοξίας nebecula serenitatem obduxerit. Nostrum tamen est ad sanctam ὁμόνοιαν per omnia adspirare: nec dubito quin hic quoq sarciri facile possit, si legitime conferantur et ponderentur sententiæ. Nam, ne id quoque dissimulem, multa in hac causa non videntur vacare λογομαχία, ex sententijs et rationibus partium non bene perceptis. Alij enim passivam, alij activam obedientiam aliter accipiunt: quod non dubito à Tua etiam Generositate observari. Dum hæc scribo de D. Piscatore nunciatur, eum in disceptatione cum collega cessisse, et sententiam suam nunc plenius explicare, quod proinde ad pleniorem quoq concordiam momenti aliquid habiturum confido. Opus erat synodis annuis, ad tuendum consensum et pacem ecclesiarum nostrarum. Absq his metuenda sane videtur gravior distractio et doctrinæ

deprauatio. Sed omnes quæ sua sunt quærunt: etsi quæ tua est pietas, tibi
hac cura nihil prius esse persuasum habeam. Verum ad eandem alios quoq;
pios principes descendere oportebat. Nos quidem ex capite [illegible] valde labora-
mus. Orandus Deus ut nos sanet et seruet. Interim beati qui esuriunt
et sitiunt iustitiam: quoniam saturabuntur. Omnipotens Pater Domi-
ni nostri Jesu Christi nos omnes in veritate sanctificet. Te vero, Gene-
rose Domine, cum dilectissima coniuge, et liberis Illustribus, gratia et Spi-
ritu suo in hac veneranda ætate tua magis magisq; vegetet: et Eccle-
siæ patronum cordatissimum, mihiq; Dominum clementissimum
diu incolumem seruet. Amen. Heidelbergæ III Non. Augusti
anno salutis reparatæ 1596.

Tuæ Generositati

Obsequ. et sub-
iectissimus.

David Pareus.

D. Parri de Justificationis controversia componenda